NE (quòd tuum hìc ambio patrocinium ECCLESIÆ PRINCEPS ILLVSTRISSIME) temeritatis culpam deprecer; facit cùm tua humanitas atque singularis in me beneuolentia; tum quæ nobis ineunda est pugna de præstanti corporis animique valetudine, cuius vtriusque est Phœnice rarior societas. Quid sit enim in hac disceptatione sentiendum, vt te iudice nostra rectè pronunciauerit Medicina; multo tamen clariùs temet ac tua gente in exemplum adductis. Quotquot nempe extiterunt tuæ stirpis Buthillerij, qui omnes breuioris licet vitæ aut ægri corporis vel legenda scripsere, vel fecere scribenda: hoc quod contendimus euincunt planiùs; quò nobis sintne virtute an genere, factis an doctrina illustriores, magis dubitandum reliquerunt. Perit enim alter dum sui ingenij monimenta consignat litteris æternum victuris; alter dum prælucet Ecclesiæ; sese ille confecit dum belli pacisque neruos teneret, omni prorsus habendi curâ corde primùm erasâ; rapitur hic dum sibi minus, quàm regno prospicit. Neque vero aut ex illorum casu, aut ex huius præmaturâ morte haustum etiam oculis nostris dolorem vllâ re delinimus aliâ, quàm tuarum contemplatione virtutum, quæ aperte declarant esse te eò animi habitu quò nullus aut admirabilior, aut amabilior. In eam rem si tua modestia (ILLVSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS) meusque pateretur pudor, percenserem illam ex Buthilleriorum sanguine tractam ingenij perspicacissimi vim pene incredibilem, quâ tu multos, te vincit nemo: dicerem de tuis plusquam niueis, castissimisque moribus prudentiâ & grauitate summâ temperatis, qui tantam tibi existimationem auctoritatemque pepererunt; vt & aliâs à Christianissimo Rege iussus volare in Belgij fines, dissidiorum quibus æstuabant dissipandorum causâ, tuo aduentu repente & quasi miraculo omnes dissensionum faces restinxeris: & quoties seu tui, seu totius cleri Gallicani comitiis præfuisti; neminem non & eloquentiæ, & iudicij, & moderationis tuæ stupore defixeris. Si igitur tot tàmque præclaris rebus obeundis par est, atne minimùm quidem debilitatur infirmo corpore cinctus tuus ille præstans & excellens animus; videt optimus quisque, quàm aduersus eos qui nos prope diem oppugnaturi sunt, firmum ad me venturum sit ex tuâ præsentiâ, atque auctoritate præsidium.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXV. IANVARII.

M. NICOLAO MORIN, Doctore Medico Præside.

An qui cæteris præstant mente, minus præstant corporis valetudine?

CVM ea ex quibus constat corpus humanum, sic inter sese congruunt, vt sit conueniens partium temperies, membrorumque conformatio, sanitas est ad functiones expeditè obeundas comparata. Hanc consequitur forma, quæ quò venustior magisque sensibus lenocinatur, hôc fere maioris est stoliditatis assecla. Multi sunt vtriusque gradus, ad quos non rarò veluti cumulus accedit robur. Eiusmodi ἐυεξία μετὰ τῆς ῥώμης, quæ non modo Pyrrhi, sed omnium pene mortalium nihil præter lacertos, & sanguinem desiderantium votum est, ὑγιῆς ἕξεως τελειότης habetur. Quasi humanæ sanitatis & felicitatis apex sit, tauri aut Elephanti vires æquare! Sane hoc qualecumque est naturæ beneficium, is tantum rebus omnibus anteponet, qui sic bonæ menti decoxit, vt ignoret huius, & valetudinis; quam formæ, & pudicitiæ rariorem esse concordiam. Non ex quouis ligno Mercurius: nec sub quauis cute Milo. Neutrum fecerit illa ad vnguem exquisita temperies, quæ tamquam Polycleti regula nunquam non laudatur, nullibi reperitur. Vnâ laterum, lacertorumque firmitate nobilis Crotoniata gaudet magno calidiorum spirituum apparatu, habituque duriore, qui feruidioris, & ἰνωδεστέρου soboles est. Ab hoc aprorum robustus furor, qui in densiore accensus materia, diutius perseuerat.

FIRMA valetudine præditus omni quidem dolore caret, & muneribus corporis optime fungitur. Hanc autem facit peculiaris partium temperies & structura, præcipueque cordis & hepatis; quæ si bene habita, paulo compactiora, & calidiora fuerint; copiosum, multoque calore ac spiritu perfusum sanguinem elaborant. Hinc melius coquit ventriculus, recoquit iecur, perficit cor, venæ sufficiunt, additurque vniendum extra venas alimentum: ipsa denique nunquam non naturæ grauis excrementorum sarcina, vnius facultatis ope secreta, alterius robore quantocyus deturbatur. Atque luculenti, conferti, minimeque fugacis sanguinis, ac spirituum præsidio munitæ partes, præsto sunt cùm ad omnia naturæ munia, tùm ad omnes voluntate susceptos motus strenuè, & alacriter obeundos. Diceres χαλκεντέρους esse homines, qui nullius auxilij, ac medicæ opis egentes, vix vllis patent morborum insultibus, implentque longissima humanæ vitæ spatia; hoc solo infelices, quòd mentem quidem semper, membra nunquam destituant spiritus; vt quemadmodum opes, sic præstans istorum valetudo stultitiam patiatur.

MENTE (quæ animi cælitus delapsi vis est, ad rerum omnium etiam à materiæ fæce secretarum capiendam cognitionem data) vnus homo cæteris animantibus antecellit, homo homini mentis præstantiâ; quâ solus ille clarebit, qui & acutissimo fuerit ad res inuestigandas ingenio; & purgatissimo ad easdem componendas, æstimandasque iudicio: eâque demum memoriâ, quæ sibi credita rerum idola, pari quâ accepit fide, repræsentet. Hæ sunt liberæ, & corpori minus addictæ mentis exercitationes, atque curricula; in quibus qui desudat ac elaborat, quid est cur vires neruosque desideret? Neque enim corporis robore magnæ res geruntur, sed consilio, & mente sexus vtriusque propriâ, magis tamen emicaturâ, si elegantioribus formetur studiis, & aliquo doctrinæ quasi pabulo nutriatur. Causam tot animi dotum astris malè feras acceptam, peius inæquali animarum conditioni, pessimè Pythagoræorum μετεμψυχώσει, rectè parentibus fere sui similes gignere solitis, rectius temperiei, quæ ad frigidum tantisper inclinata, & defæcati puriorisque sanguinis procreatrix; quò tenuiores profert spiritus, hôc ad valentem vitam mentique inimicum corporis robur minus confert. Vt quemadmodum aptiora exportandis oneribus tarda iumenta sunt, generosam autem nobiliorum equorum pernicitatem nemo graui sarcinâ premat; sic natura quosdam excellentis mentis homines ad pulcherrima quæque munia finxerit, cæteros vasti ac præualidi corporis, ad vilia & sordida ablegarit.

ANIMÆ interest non quam laxo, sed quam idoneo vtatur domicilio; quod totum sic adornat natura, vt tamen solium, sedemque menti statuat in vno cerebro, parte frigidiori & à nidore sordium, ex coctis in ventre velut in culina alimentis, remotissimâ. Nec satis fuit, in loco corporis editissimo collocari viscus nobilissimum, per sensus ceu per nuncios ac delatores, imagines rerum omnium citò, & è longinquo excepturum: nisi tersiori ac meabili textura donatum, limpidissimorum spirituum copia collustraretur: haud secus ac eleganti intentus operi artifex, mundâ & lucidiore indiget officinâ. Mens quippe humana quantùmuis ex se incorporea, sine corporeis obiectis non potest initiari sacris intellectionis, cuius obiecta sunt species primo quidem sensibus haustæ, subindeque menti tradendæ vectore spiritu. Vnde si quando hunc subiectus luculentior viscerum ignis accendit in venis & arteriis, desultorium & sui impotens facit ingenium. Truncum è contra dixeris, vel certe plumbeum hominem, cui nimio frigore concreti spiritus, crassiore torpent in cerebro, at vbi hoc fuerit delicatulæ laxiorisque substantiæ; nulla ex infimis partibus aspiratio, nulla excrementorum contagio ad ipsum pertinebit; suamque ei operam nauauerint, lucidi, subtiles, ac perpugati spiritus; fulgebit animi vis, & forma quædam admirabilis, qua qui ornatus erit, ingenio nemini mortali concedet, multos post se relinquet.

MVNDI decus homo, hominis decus mens, quæ tum maxime acutiùs cernere incipit, cùm iam corporeus oculus deflorescit. Adeo malâ fide societatem gerunt corporis, animique vis firmior! Validi quidem ferocesque iuuenes; at qui eos antecedunt annorum numero, antecedunt & sententiæ principatu. Vnde & ex his nati prudentiores, Sua cuique rei tempestiuitas data est. Inter pueros qui fuerit senex, inter senes futurus est puer. Habet nempe prouectior ætas naturale quiddam, quod, vt in arborum baccis, suo tempore percipi debeat, mirificosque afferat fructus. Vide vt iste cui calet sanguis, estque solidum ac succi plenum corpus, tenui vel potius nullâ est mente: quàm ex aduerso sit in illo eximia, qui tam tenui ac pene nullâ est valetudine? Ceu supra humanam sortem sit, vt quis simul valeat sapiatque optimè. Sic olim male habitauit ingenium Galbæ; male & illius qui tot in se collecta ex oris specie vitia ratione deiecerat. Quid? Ipse è Phrygia fabulator, nonne hoc ~~hac~~ erat formâ miserior, quo animo sapientiâque felicior? Melancholici fere ingeniosi, at & fere queruli, iniustoque corporis temperamento præditi. Est quem morbus afflixit, senectus eneruauit, omniaque naturæ adminicula defecerunt nullâ interim factâ iniuriâ menti: quæ et sæpius in deperditæ depositæque valetudinis hominibus: in laceris deiectisque corporis membris vigorem suum retinet; vt etiam facem aliquando præferat clarissimam è suo ergastulo exeunti ac veluti pedem referenti animæ. Nec mirum, hæc quippe periti instar opificis non tam instrumentorum mole ac numero, quam commoditate sua perficit opera: hôcque magis ipsa sibi vacat, quo minus interturbatur, minùsque corporeis stringitur vinculis.

Ergo qui cæteris mente præstant, minus præstant corporis valetudine.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Philippus Douté.	*M. Dionysius Gauois.*	*M. Claudius Seguin, Prim. Reginæ Med.*
M. Nicolaus Morin, Præses.	*M. Michaël Marés.*	*M. Sebastianus Rainssant.*
M. Dionysius Ioncquet, Bota. Pro.	*M. Martinus Akakia.*	*M. Nicolaus Brayer.*

Proponebat Lutetiæ LVDOVICVS GALLAIS Argentanæus, A. R. S. H. M. DC. LVII.